

4

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE  
HEPATITIDE.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

*ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LACHLANUS MACLEAN,  
SCOTUS,

NAVIS INDIAE ORIENTALIS CHIRURGUS,

NEC NON

SOCIET. REG. PHYS. ED. SOC. HONORARIUS.

*Aliter vetustis morbis, aliter acutis medendum.*

CELS.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.



VIRO PRÆSTANTISSIMO  
ALEXANDRO CALLANDER,

ARMIGERO,

E SENATORIBUS BRITANNICIS

UNI;

QUI,

PLURES ANNOS,

IN INDIA ORIENTALI,

MUNERIBUS SUMMIS,

ILLÆSA FAMA

PERFUNCTUS EST;

OB

PLURIMA

AMICITIÆ

DOCUMENTA,

TESTIMONIUM;

NEC NON



NEC NON  
AMICO SUO CARISSIMO  
COLUMBO MACQUEEN, M. D.

NORWICI,  
MEDICINAM,  
TANTA CUM SUI LAUDE,  
AC DIGNITATE,  
ALIORUMQUE COMMODO,  
FACIENTI;

SUMMÆ OBSERVANTIÆ  
MONUMENTUM;  
HOCCE OPUSCULUM,

D. D. CQUE

AUCTOR.



E R R A T A.

Page 12. line 20. *Pro qua lege quae.*

19. 14. *Pro fanis lege sanus.*

29. 10. *Pro umbrifero lege imbrifero.*

43. 16. *Pro est lege et.*



# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# HEPATITIDE.

---

## PROOEMIUM.

**A**Liquot annos in plagis ubi pulchra morbos tropicos observandi occasio mihi data est, commoratus; paucula de hepatitide ex proprio penu, et experientia, potius quam ex aliorum scriniis compilatis, deprompta, in vulgus edere, satius duxi. Primo quidem, non solum *vetustae*, sed etiam *acutae*, hepatitidis

historiam fufius tractare animo mecum decreveram ; hujus vero historiam plenam et accuratam ultra difputationum inauguralium limites longius excurrere, comperto ; phaenomena ejufdem notatu digniora, quae ab his, quae sub coelo mitiori ac frigidiori obfervanti occurrunt, aliquatenus mihi diftare videbantur, leviter perfringere fatis habui.

### DEFINITIO.

Dyspepfia, facies lurida, fubflava, tumidifcufcula ; gravitatis, ac plenitudinis fensus, cum epigaftrii et hypochondriorum, praefertim dextri, doloribusque, plus minus moleftis, alternans, compreffifcufcula vel decubitu in latus finiftrum, auctis ; dolor ad claviculam, et fummum humeri dextri, aliquando vero finiftri ; faepe dyfpnoea, tuffis ficca, dejectiones olidae ; febricula, praefertim vefperi ingruente.

## HISTORIA MORBI.

Hepatitis vetusta est vel *primaria*, vel ab alio morbo pendens, *symptomata*: nullusque forsitan ex omnibus, quibus gens humana opportuna est, morbis, majori signorum varietate, saltem initio, stipatur; adeo ut non solum medicum, sed etiam aegrum ipsum inauspicatum saepius subdole fallat; quippe qui omnia sua stadia, nemine suspicante, donec tandem strages horrenda quam ediderat, *anatomici* cultro detegatur, laryatus percurrat.

Saepe initio, dyspepsiae signis, flatu, plenitudinis, inflationisque ventriculi sensu, praecipue post pastum; ructuque vario, praesertim acido, carpitur aeger: cibi appetentia varia; nunc fastidium, nunc insolitum comedendi desiderium urget, cui si forsitan indulgeatur, omnia signa ingravescent: et tanta est ventriculi debilitas, ut cibus vix aegre concoquendus, crudusque, diutius ibi subsistat.

Simulque vultus insigniter mutatus, facies subfusca, pallidaque turgescit, oculique nitore suo spoliati, hebetes obscurantur, tunica conjunctiva colore lurido, et aliquando subflavo tincta.

Nec non eodem tempore in regione epigastrica molestiae sensus ad hypochondria dextra usque lancinans emicat; hunc aeger hallucinatus, ventriculi affectionem plerumque falso existimat: hicce dolor pressu ingravescit, ad claviculam, et summum humeri dextri tendere, et cum consimili dolore hic loci alternis vicibus torquere, percipitur.

Aeger pariter languore, lassitudine, omnique conatus fastidio, et aliquando ineluctabili dormiendi desiderio afficitur: somnus vero brevis aegri vires quassas raro reficit, saepiusque diris insomniis misere abrumpitur.

Animus tristis gravi moestitia, frequentique suspirio fractus, omnium consortium delectamentaue fugit, et solitudine, sorti suae miserae illachrymandi causa, uti amat.

Ineunte hepatitis primaria, alvus plerumque dura, morbo vero provento, pariterque per totum hepatitis symptomaticae decursum, sibi non constat, nunc astricta, alias soluta; plerumque vero dejectionibus frequentibus, foetidis, exiguis, mucosis, et abdomine nonnunquam tumido, ac tenso stipatur.

Est ubi nullam fere subit mutationem pulsus, neque validior, neque frequentior, imo aliquando praeter naturam tardus; interdum vero, progrediente morbo, frequens ac debilis, vesperi praesertim micat. Lingua albida, ficca, villisque obducta; cutis arida, dura, atque constructa, urina parca, colorata; respiratio plerumque ab initio laesa; morbi vero progressu, et finem versus, plus, minus, laborat; saepe comite tussi ficca, rauca, atque sonora, lateris dolorem adaugentes. Gingiva exploranti solito durior interdum ab initio videtur.

Est ubi humeri affectio prima in medium prodit, aegro lateris dolorem nondum conquesto:

questo : interdum vero penitus deest ; saepe tamen licet aegri sensum latuerat, humerum premendo suscitaveris.

Morbo hucusque profecto, ponderis ac plenitudinis sensum, primo in epigastrio, hypochondriisque, perceptum, dolores hebetes, obtusi, morsusque acerrimi, quaquaversum vellitantes, nec mora, magis diffusi, harumque partium majore minoreve, duritie, ac tumore stipati, levique compressi uncula ingravescentes, alterne excipiunt.

Decubitus in utrumvis latus, praesertim in sinistrum molestus ; aegrotus supinus, humeris leniter acclivibus, dextrorsumque paululum vergens, dolore minus afficitur.

Spiritu multum turbato, dolores instar pneumaticorum, quacum interdum ; rarius licet quam hepatitis acuta, conjungitur, citro retroque pectore feruntur ; singultus ac vomitus rarius in vetusta, saepius vero in hepatitis acuta grassantur. His signis interdum forte conjungitur icterus ; non vero necessa-

ro, comesque indivulfus, ut quibusdam placuit.

Haec figna varie durant: nunc diutius, alias vero ocys, velociter ingravescencia, febricula praesertim vesperi, sudoribus nocturnis, macie, viribus fractis, ventrisque proluvie putrida, ac fastidium movente, stipata, stadia sua percurrunt; aegerque febre *hectica*, ex uno, pluribusve abscessibus, intra hepar aliove, qua data porta ruentibus, oriunda, e medio tollitur.

Hoc modo plerumque adoriens, progrediensque, finitur hepatitis: facile vero collegeris, impetum, signaque futura, non solum pro principii diversitate, agendi modo atque vi, corporis statu, adeo fieri posse diversa, ut vix unquam in binis, nedum in pluribus aegris, eadem fit.

Ex supra dictis signis quaedam penitus defunt; quaedam vero magis obscura, quae proxime delineanda sunt.

Frequentes alvi dejectiones, exiguae, mucosae, et acres, ventrisque tormina abnormia, atque tenesmus inter prima nonnunquam notantur; vultus vero, his nondum subortis, diligentius observanti, a sanitate deflexisse, morbidus, mutatusque, videbitur. Interdum vero aegrotus, nullum dolorem conquestus, cibi fastidio, macie, viribus tum animi tum corporis, fractis, vegeto simul oris colore amisso, tandemque diarrhoea putrida, febreque *hectica*, quae omnia nullatenus a jecore laborante pendere suspicanti exitium afferre valeant, corripitur.

Hoc malo laborantium, dorso, humerique, quod notatu dignum, saepe antrorsum convexa sunt; vitiumque morbo progrediente in pejus ruit; pectusque simul a forma sua deflexum, insigniter, praeter naturam, deformatur.

Est ubi morbus Pyrexia abnormi, incertis intervallis accedente, calore intenso, siti, pulsu debili, parvo, interdumque enormi, adoritur:

et

et licet caloris, molestiaeque sensus, circa epigastrium, hypochondriaque dextra simul torqueant; cum tamen in aliis pyrexiiis similia signa adsunt; magnum curriculum sui spatium nondum in suspicionem adductus, insidiosè decurrit.

Datur febrium intermittèntium varietas, Indiae montium indigena; indeque, febris montosa, nuncupata, quae ex jecinoris praesertim lobi sinistri, vitio pendet, cuique viribus hydrargyri solis medetur.

A chirurgo clarissimo spectatae fidei apud Bombay, tria hujusce febris, quae sibi observasse contigerat, exempla, ingenium asthmatis induisse, remediisque huic malo idoneis aliquandiu frustra tentata, tandem hepatitidis signis suborientibus, hydrargyro feliciter profligata fuisse; morbumque, qui uni ex aegris eadem forma rursus acciderat, eidem remedio, sicuti antea, denuo cessasse, certior factus sum.

Hepatitidis, moribus nonnunquam mutatis, lentò vixque percipiendò pede, vel, causa ali-

qua incitante fortius agente, ex vetusta in acutam subito mutatur: utrum vero haec acuta, an potius vetusta gradu solummodo diversa, antiquo nomine servato, vocanda est, anceps haereo.

Vetustam quidem saepe ex acuta oriri contendimus; licet scriptor, qui non ita pridem tractatum publici juris fecit, vetustam fere semper, morbum primarium esse, ponat: hoc equidem aliquando evenire, supra jam concessum est: semper vero fieri, non solum propriae, sed etiam clarissimorum medicorum, quos saepius, data occasione, consului, experientiae, repugnat. Idem auctor in sua morbi historia, stadium acutum describit; hoc tamen in ratione medendi oblivisci, saltem remedia praestantiora, medicorum praeclariorum usu comprobata, penitus praetermittere videtur. Quam statuit, medendi rationi, vetustae, utpote huic satis idoneae, limitibus circumscriptae, facile; acutam vero ex aequo complectenti, generalive morbi divisioni, qua puris generationem

nerationem ex acuta sola penderè ponit, minime assentiri queo : nam ex alibi confessis, auctor jecur omnia morbi latitantis stadia, nemine suspicante, tacite percurrisse, incidendo repertum est.

Hujus mali exempla, commentariaque in vulgus a clar. Doctore CLARK, apud Antiguam edita, magis experientiae nostrae, cognitionique, quam aliunde consequi valueram, quam ulla alia, quae super hoc gravi argumento addiscendi occasio se mihi obtulit congruere, hic loci observari vellem ; lobumque finistrum tentari, abscessusque hepatis inter se distinctos, saepius in India Orientali, quam Occidentali, reperiundos ; cum hujus unicum tantum exemplum Doctori vidisse contigit.

Infauftis hujusce mali victimis saepe evenit, ut medicum, non nisi abscessu, apice acuminato, foras erumpente, accersant : interrogantibus verò respondent, se ante hoc morbo detentos, doloribus hypochondriorum, febre comitante, plus minus laborasse ; domi vero  
manendo

manendo, laxantium refrigerantium usu his signis levatos fuisse. Hoc infimae fortis indigenis, qui causis remotis perpetuo objiciuntur, obtingit, quique ob dietam tenuem ex vegetabilibus praecipue confectam, morbo lento, vixque sentiendo misere carpuntur; solitis negotiis impliciti, totas septimanas, imo menses obambulant, neque medici manum, nisi dolore coacti implorant: inde fit, quod morbus, causis incitantibus de novo agentibus, lente, ac pedetentim suppuratione tacite recidivus finitur.

Hepatitis aliorum morborum saepenumero comes, aut signum; huic vero febres intermittentes, ac remittentes, dysenteriaeque minus bene curatae, praesertim fundamenta ponunt; et sane vix Indiae datur morbus, qui ad illam plus minus procliviores non reddat: hique morbi diversi, remediaque, quibus medetur, in qua omnis culpa transfertur, vitia hepatis latitantia in lucem saepe proferunt.

Hos

Hos morbos, usitatis remediis non cedentes, e jecinore oppilato saepius pendere comper- tum est: huic rei innixi hydrargyro, auxilio potentiore, et forsitan solo plerumque fere utuntur medici.

Morbi progressus est admodum diversus; nunc curriculum suum, intra paucos dies, velox percurrit: alias vero hepar septimanas, imo menses, vel etiam annos, nulla causa vali- diore incitante, lente morbidum marcescit.

Jamque hepatitidis vetustae historia, qua po- tuimus, cura, ac diligentia, tradita, quaedam de insignioribus acutae phaenomenis, animad- vertenda sunt. Haec aequae ac illa regionibus calidis gaudet; licetque, ineunte morbo, signa satis clare plerumque notentur; aliquando tamen, ut vetustae etiam evenit, adeo obscura, et subdola sunt, ut quam maxime in arte versatos subterfugiant.

Aegrum nunc pyrexia violentiore, bilis vo- mitione, atque singultu, vi deripente, aggredi- tur; alias vero signorum enormium catervam  
lateris

lateris affectio excipit. Haepatitiden gravio-  
rem, praeceuntibus aliquot dies generalibus  
rheumatismi, praesertim articulorum majorum,  
doloribus, qui tandem humerum dextrum  
correptum, triduum jecinoris affectione non-  
dum sensâ, immane torquebant, mihi observasse  
obtigit. Hujusce aegri humerus sinister, ster-  
numque medium dolore graviore laborabant;  
lobusque sinister princeps inflammationis sedes  
videbatur.

Dolor hicce singularis humerum, claviculam-  
que subtus angens, interdum primarium, et  
saepe morbi decursu signum importunius est,  
toto brachio ad digitos extremos usque, quos  
torpore, doloreque immobiles reddit, pertin-  
gens: idem, at mitior angoris sensus lateris af-  
fecti femore ac crure aliquando sentitur. Tho-  
racis tegumenta dextri, praesertim supra in-  
fraque claviculam, ineunte morbo, leviori  
compressiuncula, dolore longe alio ab illo qui,  
morbo provento, cum suppuratio haud dubie  
adeft, affecta, semel observavi.

Hepatitis acuta non solum gravioribus signis, quam vetusta, illave, quae coelo frigido, mitioreve subnascitur, grassatur, sed etiam multo majore velocitate curriculum suum absolvit. Dyspnoea insigni, tussi importuna, doloribusque pectus circumcirca peragrantibus, acuto simul humerum, claviculamque subtus, angore torquente, convexam hepatis superficiem potissimum affici, inflammationemque non solum ad mediastinum, pleuramque costarum, sed etiam in pulmones prorepisse rite collegeris. Tametsi in quibusdam morbi gravioris exemplis, haec signa, hisce partibus salvis, occurrant, illas vero plerumque plus minus semper laborare, facile adducor ut credam: cumque quo major est ea pars hepatis affecta, eo periculum fit quoque majus, ad hoc animum studiosius in usu advertere necesse est.

Diaphragma interdum tam vehementer afficitur, ut aegrum incurvum, et quasi arcuatum, genibus cubito innixum, quo fo-

†

lummodo

lummodo dolore levabatur, conspexerim : hic plerumque torquet singultus.

Alvus interdum adeo astringitur, totusque tubus intestinalis tanto torpore corripitur, ut, bile, licet copiosius, ut hinc patet, quod aeger, vomitione biliosa saepius torqueatur, fluente, cathartica fortiora necessaria sint.

Hepatitis acuta maxima ex parte, sed non semper, credo, superficiem hepatis, vetusta vero semper *parenchyma*, sive ipsam jecoris substantiam, sedes sibi vindicant : in hoc abscessus plures, vel secum invicem communicantes, vel instar favi, inter se distinctos reperire est : jecinorisque superficie integra licet et salva, abscessus hosce tamen saepenumero in parenchymate inventos, sectione cadaverum monstratur.

#### DE USITATIONIBUS MORBI TERMINIS.

Hepatitis, resolutione, et suppuratione, raro vero gangraena, finitur : utrum calidarum  
hepatitis

hepatitis plagarum schirro vero unquam excipiatur, vehementer dubito.

Quando resolutione, omnium terminationum benigniore, clauditur; hoc plerumque bilem sursum, deorsumque praesertim copiose evacuando evenit; omniumque praecipue in vetusta salutis recuperandae signorum certissimum est; partis enim laborantis vasorum, quorum debilitatem, causam mali proximam postea stabilire conabimur, vim aliquatenus instaurari probat: canalis enim alimentarius solito stimulo diutius orbatus, eadem bilis quantitate, qua, salva sanitate, ad motus placidos et naturales, jam ad abnormes peragendos, supra modum stimulatur.

Sudores universales profusi, urinae secretio, sedimentum copiose deponentis, adaucta, aegri tussi antea laborantis excreatio libera ac copiosa; sanguinis e naribus, anove fluxus, dejectiones mucosae, et superficiei jecur exudatio, partibus vicinis agglutinans, hunc morbi finem alia alio tempore comitata sunt. Exu-

dationem vero acutae propriam, hujusce resolutionem plus minus semper stipare, facile adducor ut credam : plerisque enim, qui ex hoc modo finito morbo convaluere, decubitus in latus finistrum difficilis, molestiaeque sensus, quovis nisu subito suscitatus, quae, nec injuria in hanc agglutinationem conferuntur, toto vitae curriculo fatigant.

Quando vero suppuratione, quae semper periculosissima habenda, terminatur, vel uno, pluribusve abscessibus, viam foras, in thoracem, pulmoneisque, in ventriculum, vel in intestina, per bilis ductus, vel conglutinatione et erosione juvantibus, vel denique in cavum abdominis sibi patefacit; ex omnibus hisce, si extremum excipias, non defuere, qui convalescerunt.

Hic vero animadvertendum, suppurationem adeo lentis vixque aegre percipiendis gradibus surrepere, ut morbus etiam in artis nostrae usu quam maxime versatis fidem faciat, se resolutione fuisse depulsum : dolore enim insigniter

niter remittente, vel penitus una cum caeteris signis, ut saepe evenit, cessante, aeger sanitatis desiderio flagrans, medicusque se morbum debellasse facile credens, in hunc errorem nullo fere negotio inducuntur: hinc fit, ut non solum remedia praestantiora praetermittantur, sed etiam, citius aut serius, tumore foras erumpente, febrique lenta, ex abscessu interno, pureve viam sibi in partem internam sternente, suborta, misere spe sua frustrati decident. Ad ea quae consequuntur animum attendendo ab hoc erroris fonte plerumque cavebitur. Si doloris remissio, aut cessatio aliqua evacuatione critica, non stipetur, si faecis oris color non restituatur, si functiones generales debiliores sint, si denique decubitus in latus sinistrum fit difficilis, et quo longius in hoc cubatur, eo, pro rata parte, decubitus fit gravior, molestia in ponderis sensum, tandemque in dolorem gravissimum desinente, febricula simul, horrore levi, ac abnormi stipata, praesertim vesperi ingruente, scrupulose ac timide

de eventu praefagiendum est ; plerumque enim suppurationem instare, aut jam nunc existere comperiemus : si reliquorum signorum nulla, quae duces sequamur, adsint, ac etiamnum ancipites hereamus, aegrum in latus sinistrum collocatum, diutiusque sic recubantem interrogando, de sensu quo afficitur, utrum inflammationi supervenerit suppuratio dijudicare potuerimus. Ad hanc rem animum altius advertendum volo, quippe qui medicos longa licet annorum serie edoctos, in hunc errorem incidisse probe noverim. Quique egometipse in uno exemplo tametsi qua potui diligentia ab hoc erroris fonte cavebam, morbum resolutione finitum per aliquot dies, credulus, opinatus, cito me toto coelo errasse compererim : abscessus enim aliquanto post, via sibi in pulmones patefacta, aegro exitium attulit.

## DE CADAVERUM SECTIONE.

Strages horrenda atque phaenomena, quae cadaverum sectione manifesta fiunt, varia et multiplicia sunt; horum autem pauca tantum brevitatis causa annotabimus.

Quatuor exemplis, quae mihi perscrutandi occasio se obtulit, quibusque in pulmones abscessus viam sibi stravit, pusque aliquandiu ante mortem excreatum fuit, quae sequuntur, notata sunt. Omnibus pulmonum substantia plus minus exesa; tubique bronchiales pure sanguinolento excreato haud abfimili, infarcti fuere; pulmo dexter pleurae spatio satis amplo, praecipue circa foramen diaphragmate erosum, quod tribus digitis intromittendis par erat, agglutinatus est: hoc circa foramen plurima dura, mole diversa, quae cultro secta, schirrum specie, duritiaeque referebant, reperta sunt. Horum uno pneumonia ab initio comitante, partes conglutinatae latius patentes,

tentes, arctius ; lobus vero sinister quibusdam locis laxè adhaerere ; pericardioque feri libra flavi reperta : huic miserando pariter lobum sinistram abscessus tentabat, unde pus quatuordecim diebus ante obitum exivit, quique velociter ad sanitatem, donec alter dextri lobi in pulmones irruerat, spectabat ; omnibus vesicula fellis viscida bile distenta, superficies per aliquod spatium diaphragmati, in uno pariter reni dextro praeter naturam adhaerescere : diaphragmatis tendo omnibus foramine exesus. Jecoris superficies nunc maculis lividis distincta est, nunc vero salva intacta manet : nec datur viscus vicinum, cui aliquando agglutinatum non reperiatur. Vesicam fellis, bilisque ductus nonnunquam inflammatione tentari liquido constat : ductumque communem choledochum inflammatione tantum non deletum, mihi vidisse obtigit.

Pleraque viscerum abdominalium morbi vestigia subinde ostendunt : mesenterii glandulae tumore, ac duritie, praecipue *vetusta*,  
 dysenteria

dysenteria satellite, diutius laborantibus afficiuntur. Splenem quoque morbo tentari, et diaphragma maculis lividis aliquando distinguere compertum est.

### DIAGNOSIS.

Morbi quibus hepatitis acuta confundatur pneumonia, gastritis, affectus coli spastici, musculorumque jecori vicinorum dolores rheumatici numeranda sunt: primae nonnunquam conjungitur; cum vero pulmones, ipsorum, costarumve pleura, non tentantur; sequentibus rite perpenfis distinguere poterit: a pneumonia, humeri claviculaeque subtus dolore, qui plerumque semper hepatitidem acutam comitatur, absente secerni potest.

In pneumonia dolores celsiores, latiusque patentes lancinant; dyspnoea et tussis importuniores; excreatio copiosior et interdum sanguinolenta, decubitusque in latus affectum difficilis: contrarium vero in hepatitide evenit; huc pariter accedit quod, in India Orientali, pneumonia

pneumonia primaria rarius occurrat; neque magni refert hic paululum errasse; cum utrique morbo ineunte eadem fere remedia idonea sint.

Debilitas insignis, anxietas, in epigastrio dolor et ardor, ingestis quibuslibet auctus, iisdemque protinus rejectis, humerique dolor absens, gastritiden a morbo nostro facile fecernunt. Lobi finistri inflammatio coli affectus speciem adeo graphice interdum prae se fert, ut, absente humeri dolore, a coli affectione vix aegre distinguenda sit: eo major est hic difficultas, quod dolor interdum adeo obscurus ut vix percipiendus sit, quod plerumque pariter, alvus pertinaciter astricta sit, quodque denique aegrotus in utrumvis latus pari negotio cubare queat: quapropter ad omnium signorum catervam animum advertendo, hepatitiden ab hac coli affectione, partiumque vicinarum rheumatismo, caeterisque corporis affectibus rite solummodo secreveris. In vetusta majores etiamnum difficultates superanda;

dae ; futurum tamen spero, ut historiae morbi supra traditae attentius, studendo, ab omni errore nobis ex illo fonte irrepturo, plerumque caveatur.

### CAUSAE REMOTAE

Sunt, *1mo*, Calor, praesertim cum hic ac frigus alternis vicibus agant. *2do*, Corporis exercitatio violenta. *3tio*, Intemperantia, praesertim spiritus vini usus immodicus. *4to*, Animi affectus. *5to*, Febres intermittentes, ac remittentes. *6to*, Dysenteria, &c.

Horum omnium calor, stimulorum fortissimus, princeps morbi causa, nobis, utpote quibus persuasum est, caeteras mali causas, aut simili modo, calorive operi favendo, agere, hic loci potissimum perpendendus est.

Fuse et operosius tractare de operandi modo, quo calor hunc morbum in diversis Indiae Orientalis plagis suscitet ; rationesque reddere, quare in quibusdam saepius, quam in aliis, grassetur, quare denique in aliis, ut in quibus-

dam Indiae Occidentalis plagis licet omnino similibus, eisdemque causis remotis operantibus; raro aut nunquam subnascatur; haec omnia inquam figillatim, et liquido enucleare non solum nos difficultatibus non solvendis praepeditos implicaret, sed etiam hanc dissertationis nostrae partem, ultra solitos, quibus tentamina inauguralia, fines, circumscribuntur, longe necessario proferret: quapropter has solum causas, quae maxime, me iudice, ad hoc malum suscitandum faciunt, hic loci perstringam.

Quaedam vero observationes, quibus, tanquam principiis inconcussis, innixi, caute ratiocinabimur, huic investigationi praemittendae videntur.

Animantia, stimulo quovis quadantenus amoto, et postea de novo addito, majore cum facilitate nunc eodem affici, ac consequens est, in actionem validiorem incitari, lex universalis videtur.

Ut

Ut modo, quo calor, frigusque, fibram muscularem alterni afficiant, aliquod luminis ofundatur, Professore nostrum illustrissimum BLACK, calorem esse veram substantiam, non qualitatem, plurimis periculis nitidis commentariisque comprobasse observandum est; hinc calor alternis vicibus auctus et imminutus corpus eodem modo, quo caetera stimulantia (ut supra dictum est) afficiat oportet. Sic si partem aliquam (manum v. g.) in certo quodam caloris gradu collocatum, ad gradum inferiorem transferas; actionis imminutio statim sequetur; si jam in priorem caloris gradum eandem reducas, actio adaucta, priore tamen major, ob manum jam vi frigoris sedante magis irritabilem factam, subsequetur; si eandem gradui adhuc minori immerfam in priorem revoces, actio vasorum pro rata parte major, subnascatur oportet: adeo ut calorem hoc modo augendo imminuendoque, vasorum actionem eo roboris, violentiae, ac impetus, ut inflammatio, gangraena, aut sphacelus insequantur, facile

facile fuscitaveris. Hujus rei exempla in frigore adustis videre est; calore enim subito, inflammatione, gangraena, aut sphacelo, pro caloris gradu, corripuntur, caute vero et pedetentim, admoto, horum nullo laborant: sic ut mihi videtur, rite explicari potest, quâ calor et frigus alterni morbum, de quo agitur, plerumque excitant.

Licet in quibusdam Indiae Orientalis partibus calor intensior ardeat; si tamen sibi constet, adeo ut non multum supra infrave eundem Fahrenheitii gradum mutabilis fluctuet, Europaei, modo se, munera sua obeundi causa, radiis solaribus objicere non cogantur, secunda valetudine fruuntur. Alibi vero, eodemque loci, vento Indiae stato se vertente; ubi magna caloris, frigorisque alterna varietas; visque aestus diurni frigore nocturno excipitur; vel ubi a terra aura nocturna, ex mari diurna ordine nexae, continuata ferie inane alterna perflant, morbi varii, multiplices, natura tamen penitus diversa late dominantur;

prout calor, coelo aqua plus minus onerato, aliifve ad alios morbos proclivioribus, graffetur : calore ficco, phlegmafiae, hepatitis praefertim, humido vero rerum potiente, morbi indole penitus diverfa refurgentes faeviunt. Hinc fit quod hepatitis faepius in regione Comandelaë maritima, ubique folum ex arena, fabuloque ficco praecipue conflatur, quam in Calcutta, aliifque Bengalae paludibus, vel in coeli ftatu procellofo, atque umbrifero, recrudefcat.

Quaenam ex regionis terrefttris hujufce ventis incommoda oriantur, neminem fere latet, plagas arenae immenfas, torridas, radiis folaribus ad perpendicularum fere directis, calefactas, non aliter quam fi ex furno candenti, erumpentes, percurrunt : tantumque abeft, ut perfpirationi, illi in regionibus calidis falutari humorum detractiõni, quam natura tanta cum fapientia ad proportionis normam diftribuere conatur, quo animalia, diverfis licet caloris viribus objiciantur, eundem tamen fere fem-

per gradum conservant, vel minime faveant, ut etiam ipsam, haud levi mortalium incommodo, insigniter reprimant, totamque fere corporis superficiem exsiccatam arctius contrahant, ac comprimant. Hinc calor insigniter augeatur necesse est: adeo ut interdum multum supra sanitatis gradum affurgat; heparque praesertim, ut ex caloris sensu ibi corporis torquentis, bilisque vomitione statim subsequente, constat, insigniter stimulet.

Si, rebus eo loci se habentibus, aut statim antecedit, aut subsequatur, frigus, ut plerumque aerae ex mari reduci, aut aëri nocturno se incaute objicientibus, frigidave large bibentibus, obtingit, multo graviores edet effectus: atque si hepatitis statim, ut saepe usu venit, oriatur, acuta grassabitur. Si vero haec caloris ac frigoris vis morbo statim suscitando impar fit; saepius tamen iterata, ut ex pravo cujuslibet stimuli ultra citrae sanitatis normam ac modulum usu obtingit, totum corpus, hepar vero praesertim, tanto languore ac

inertia

inertia afficiet, ut non solum prava et immutata bilis secretio, sed etiam hepatitis vetusta, citius aut ferius, pro causarum vi, tempore, et agendi modo subnascantur.

Hic vero nobis forsitan objicias, quaerendo, quare, scilicet, hepar, prae caeteris visceribus, hic loci inflammatione, tam frigidarum, quam nec frigidarum nimis nec calidarum regionum prole, potissimum laborat?

Si modi operandi, quo quaedam substantiae quaedam corporis organa afficiant; nempe quo salivae glandulas, hydrargyrum; renes cantharides; cutem exanthemata; modique, quo febres intermittentes, ac remittentes, paludum miasma; continuas vero contagio humana, excitent, rationem reddere clare potuissimus; forsitan hac similitudine suffulti, huic nodo solvendo, aliquatenus pares evaderemus.

Enim enimvero effectus, quos in plagis calidioribus edit, observanti, animoque mecum diligentius volventi, calor jecur, prae caeteris corporis

corporis humani visceribus, singulari, sui que generis modo, stimulare mihi videtur: quod valide confirmatur ex eo quod hic loci, bilis secretio eadem, qua cutis excretio adaugetur, ut caeteris excretionibus evenit ratione non imminuatur.

Nec non probabiliter fieri potest, ut jecur ventriculum inter et superficiem externam situm, hinc potus, illinc aëris, frigori, objectum, corpore nimis calefacto, multo magis irritabile fiat; vel eodem nimis refrigerato, potu simul inebriante, caloreve externo, agentibus, gravior effectus hac duplici causarum serie, edatur.

Licet vero nobis, morbum ex hisce causis quadantenus oriri, concedatur; alter tamen quare scilicet, in India Orientali, saepius quam in Occidentali, plagisque huic similibus grassetur, nodus solvendus superest: utcunque vero se res habeat; posito etiam quod coelum in hisce regionibus simillimum sit, hoc aliquibus ex supra laudatis causis tribuendum esse,

esse, illasque majori vi in India Orientali, quam in Occidentali agere, totumque discrimen ex hoc dispari causarum opere pendere crediderim.

CAUSA PROXIMA.

Utpote de qua primae notae scriptores in sententias adversa fronte arietantes ivere, summis difficultatibus premi fatearis oportet: aliis aliud visum, hi morbum venae portarum, illi vero hanc sententiam, non solum non claram, sed etiam vero absimilem, respuentes, arteriae hepaticae morbum vitio vertendum esse clamitant: quapropter meam ipsius sententiam, hic loci in medium allaturus, non sine metu, summaque diffidentia in arenam tremulus descendo.

Ex dictis bilem, non solum ineunte sed etiam progrediente morbo, plurimum praefertim vero quantitate, peccare liquido patet. Hac aegritudine tentatos, totos menses, imo etiam annos, signis e bilis vitio pendentibus,

E

quae,

quae, praesertim hepatitide vetusta ingruente, paulatim evanida, terga dant; progrediente vero, radicesque altius agente, secretione bilis plurimum tandem imminuta, penitus fere evanescent, observare liceat; acuta vero, noxa aliqua gravius excitante, exorta, bilis initio insigniter, morbi progressu brevi imminuenda, augetur.

His positis, si bilem ramulis venae portarum extremis fecerni, concedatur, nemo diversas quas subit mutationes, ex hisce vasibus aequaliter mutatis pendere, inficias ibit.

Clarissimus MONRO Professor noster jure celeberrimus, tunicam venae portae bovillae muscularem scalpello liquido demonstravit; licetque eadem in vena portae humana oculorum aciem fugiat, illam tamen in homine, aliisque animalibus simili artificio conflata, jure contendit. Ex his, eoque quod hepar longissime a corde, arteriisque distet, adeo ut non horumce impulsu, sed sua sponte, viribusque sibi insitis vena portae moveatur; ex eo  
pariter,

pariter, quod hic loci sanguis ex ramis amplioribus, in angustiores et capillares; quod ipsius motui obicem, plus minus ponat, necesse est, ut in arteriis fit, diffundatur, ex eo denique quod vena portarum valvulis instructa non fit; ex his inquam omnibus rite perpenfis, Professor noster celeberrimus sanguinem, non tantum vi a tergo, sed viribus venae ipsi propriis in hepar diffundi; ipsamque viribus vivis a natura esse instructam, atque instar arteriarum, non solum irritabilem, sed etiam inflammationi opportunam esse, usitato suo argumentandi acumine rite contendit.

Hoc extra omnem dubitationis aleam nitido periculo posuit; arteria hepatica animali ligata; hepar non solum inflammationi, ut antea obnoxium, sed etiam partibus vicinis, ut aliis inflammationibus evenit, agglutinatum comperit. Nollem tamen hic arteriam hepaticam tanquam hujus mali immunem excipias; contra ipsam in omni inflammationis exemplo acutae, plus minus laborare, colligas velim;

velim ; ex eo enim quod non solum ramuli minutuli in omne hepar simul diffundentur, sed etiam quod oscula ipsarum extrema se invicem ubique hepatis amplexantur, fieri non potest, quin unâ ipsarum inflammata, altera statim exardeat.

Licetque nobis in quibusdam acutae, praesertim jecinoris tunicarum inflammationis exemplis, arteria hepatica, primario affici videatur ; attamen propter rationes jam supra allatas, venam portarum, plerumque hujusce morbi sedem primariam esse, non ponere non possumus.

Tametsi noxae utrumvis morbum incitantes eadem sint ; attamen pro rerum diversitate ; pro ipsarum vi ; prout subito, vel pedetentim in corpus egere ; vel prout systematis vires regionibus calidioribus diutius commorando, morbifve praeceuntibus fractae fuere ; effectus vel causa proxima, pro omnium harum rerum varietate, nunc acutam, alias vetustam hepatitiden excitantium, diversa erunt :

quapropter



cile adducor ut credam. Menses hoc malo laborantibus abesse feruntur.

Neque praetereundum alia animalia, nulla causa evidente, si calorem excipias, incitante, in hunc morbum esse proclivia: numerus enim canum venaticorum ex Anglia, huc adventorum insignis hoc malo e medio tolluntur: nihil magis quotidianum, quam canem domini deliciolum *hepate*, (sic enim in India Orientali apud omnes morbus audit,) laborantem, hydrargyro tractari: et haec animalia, morbo jam suppuratione finito, abscessuque inciso, convalescere, certior factus sum.

#### RATIO SYMPTOMATUM.

Ex omnibus quibus haec aegritudo stipatur signis, nullum, quam humeri, claviculamque subtus dolor, difficilius exponitur: licet enim, aliae ab aliis, phaenomeni rationem reddendi causa, sententiae in medium illatae fuerint, nihilum tamen ad causam enucleandam profecerunt: tam horum, qui nervorum nexui, sententia, quam qui inflammationi in diaphragma,

ma, septumque thoracis mediaſtinum, ſurrepenti, jecinoriſve ponderi adaucto, aſcribendum ponunt, nihili quidem pendendae ſunt: hoc enim ſignum, neque verae harum partium inflammationi, neque hepatis pondere et mole ſchirro adauctis, aſſeclam comperire eſt: quapropter huic phaenomeno obſcuro impar, nodum aliorum acumine ſolvendum, cuidamve naturae conſenſui, nondum ſatis perſpecto, adnumerandum in medio relinquimus. Singultus, dyſpnoea, tuſſis, decubitusque in ſiniſtrum latus difficilis, non ſolum ex inflammatione diaphragmati hepar jam tenerum comprimenti, pleuriſque coſtarum, et pulmonum obrepente, ſed etiam ex hepatis pondere, quod ligamenta ſua, quibus ſuſpenditur, quaeque pariter inflammatione probabiliter jam tentantur, deorſum gravat, exoriuntur. Humerorum convexitas ex doloris vacuitate, quam aeger, antroſum incurvatus, experitur, diaphragmati, corpore ſic poſito, hepar multo minus comprimente, oriri videtur. Vomitus, qui ineunte

hepatitide

hepatitide acuta aegrum aliquando torquet, vel ex inflammatione, ventriculo tandem, superveniente, vel ex magna bilis vi, quae jam in duodenum diffunditur, ex hac autem ut mihi videtur, frequentius pendet.

Caeterorum vero, quae in hepatitide vetusta observantur, phaenomenon, ex visceris hujusce mole, ac magnitudine, ex bili quae, uti videtur, saepe qualitate peccat, imminuta ratio reddenda videtur.

### P R O G N O S I S .

Antecedentium, morbi vis, temporisque quod duravit; aetatis, temperamentique, aegri ratione rite habita, de eventu fati accurate judicabitur. Si aegroti vires quovis luxu, morbis antecedentibus, viribusque caloris funestis plurimum frangantur, exitus infaustus praefigiendus est. Si medicus non nisi multis diebus elapsis, accersitus sit, anceps periculosusque exitus, etiam si aeger morbo mitiori tentetur, ex eo quod tanta cum velocitate in sup-  
purationem

purationem praeceps feratur, timendus est. Humeri claviculaeque dolor subtus gravis, tussis sicca, dyspnoea, praesertim si remediis idoneis brevi non cedant, semper periculum maximum ingruere praedicunt. Si alimenta per vetustâ laborantis canalem alimentarium, cito, parumque, nisi quod fastidium pessime olentia moveant, mutata ferantur, morbum pervicacem ancipitemque praenuncies.

Si contra, auxiliante medico, pyrexia, caeteraque signa importuniora insigniter brevi remittant, praesertim quavis exinanitione critica comitante, cutis simul humidae calore minuto. Sique morbo vetusto laboranti solitus oris color redintegretur; si faeces antea fastidium moventes jam sanorum similes, non amplius foeteant, exitum morbi faustum ac felicem absque errandi formidine ingruere praenuncies.

Si autem acutam vetusta temporis progressu excipiat, aegroque pristinae vires orisque decor non instaurantur; caute admodum nobis utpote quibus hic suppuratio timenda fit de

incipite morbo augurandum est. Denique acuta, quam vetusta hepatitide laborantes magis vita periclitantur, modo haec auxiliis nondum tentatis longius protracta non fit. Suppuratio nullo non exemplo summum vitae discrimen minuitur.

### CONSILIA MEDENDI.

Primo in hoc, sicuti in aliis morbis, causae remotae, quas supra jam recensuimus, quoad fieri potest, tollendae sunt. Cum vero ex probatis duae sint hujusce morbi species, *vetusta* scilicet ac *acuta*, natura et causa proxima, penitus diversae : curatio fit pariter duplex oportet.

Hepatitis acuta quae primo propter signa graviora periculumque quibus undique cingitur medici attentionem jure sibi vindicat, regimine antiphlogistico, sanguinis missione, catharticis, et vesicatoriis, de quibus sigillatim paucis differendum, curanda est.

*Regimen*

*Regimen antiphlogisticum* hic, ut in omnibus viscerum ad vitam necessariorum inflammationibus rigide semper adhibendum, fatis patet.

*Sanguinis missio* certis limitibus ne ultra citrave rectum excurrat pro aegroti aetate et viribus, morbi violentia, temporeque quod duravit, ut sua cuique prudenti medico ratio suadebit, circumscribenda est.

In regionibus calidis phlegmasiae tam brevi in diversae naturae morbos mutantur, ut venam non nisi cautissime pertundere fas sit; si enim primo, secundo, aut ad summum tertio morbi die, sanguinis missio non celebretur; non solum anceps, sed etiam plerumque periculosae plenum opus aleae futura est. Est eo quod in hanc rem animum non fatis intendant, scalpellum stringentibus, rem saepius infauste cessisse facile crediderim: nullo nos enim auxilio modo limitibus supra dictis accurate circumscribatur praestantiore, potiri, experientia fretus, nil dubito asserere. In locis aridis  
copiosius,

copiosius, quam in humidis, in his enim fibra debilis et laxa, sanguis mittendus: nautis qui cibo pravo parumque nutriente vesci coguntur tam haec quam quaelibet alia exinanitio parcius utenda.

*Cathartica*, si iisdem finibus quibus sanguinis missio limitentur, hoc malo laborantibus profunt; leniora vero ut tartarus solubilis, sal rupellenfis, &c. parvis dosibus propinata ita ut alvus leniter solvatur, anteferenda sunt: juxta venaesectionem,

*Vesicatoriis* maximam fidem ac fiduciam habeo: vesicatorium amplum parti affectae, quam potest proxime et successive diversis regionis hepaticae partibus applicandum erit; sic enim multo magis quam si fonticuli unguento epispastico fiant proderit. Agentibus vesicatoriis, diluentia copiosius, eo quod in calidis magis quam in frigidis regionibus urinae meatus afficiantur, propinanda.

*Refrigerantia*, qualia sunt fructus acidi, quippe qui sitim alvique duritiem jucunde levant,

vant, malo laborantibus plurimum prodesse experientia constat: sales medii, nitrum multa aqua solutum, et julapium salinum ex alkali vegetabili fixo et acido vegetabilium conflatum, ad curam facere constat.

Cum hepar iisdem quibus reliquum systema legibus gubernatur; acuta, si signa graviora sint diutiusve persistant, in suppurationem, aut vetustam, degenerando, desinat, oportet: jamque aliis de quibus infra auxiliis curanda est.

#### HEPATITIDIS VETUSTAE MEDENDI RATIO.

Auxilia quibus suffragante experientia, vetustae, utrum acutam aliumve quemcunque morbum excipiat, an primario exoriatur, optime medetur, sunt, laxantia mitiora, hydrargyrum, vesicatoria, tonica, &c.

Tubo alimentario parvis laxantium dosibus expurgato, ad *unguentum hydrargyri fortius*, quod primo copiosius, donec animae foetore in fluida intromissum percipiatur, postea vero parcius, ita ut vasa metallo onerata aliquan-

diu stimulentur ; interim a ptyalismo, tam hic enim quam alibi obest, caute caventibus, confugiendum est. Regioni hepaticae modo hic vesicatoria applicata non sinit affricandum est : hinc enim magna morbi levatio. Affrictus tempus admodum pro rerum diversitate diversum medico judicanti relinquendum est.

*Vesicatoria*, qualis modus operandi cunque sit, ut in acuta praecipitur, adhibita, plurimum prodesse constat.

Dyspepsia, fibraeque muscularis laxitas, morbi satellites indivulsi, quam bene tonica et stimulantia morbo occurrant, digitis quasi designant : haec autem caute utenda, ad mitiora enim, qualia sunt infusa amara, parvulae tincturae corticis Peruviani, radicisque columbo, superaddita quantitate, confugiendum. In victus tenuioris in acuta laudati vicem, cibus lautior, concoctu facilis aromatibusque scite conditus, sufficiens est. In India cibus cui nomen *curry* concoctu facilis, ex carne parvaque vegetabilium portione conflatus, capsico,

co, curcuma, aliisque aromatibus bene conditus, quem una cum oryza comedunt, plurimum invalescit. Post cibum unus aut alter Madeirae aliûsve vini meraci cyathus profunt: potus communis vinum aut sacchari spiritus aqua diluta fit: cerevisia enim utentibus acescit.

Ad signa importuniora, praecipue tuffim quae tam in acuta quam in vetusta plerumque torquet, compescenda, nihil opio, quod mirandum levamen plerumque affert, praestantius est.

Si morbus hicce auxiliis pervicax non cedit, in coelum mitius ac purius migrando, hydrargyro interim caeterisque remediis aliquandiu repositis, et denuo post aliquod temporis resumptis, aegrotus saepe convaleuit.

Si haec votis parum respondeant; in aliquam Indiae Sinarumque regionem longinquam navigantibus res saepe feliciter cedit.

Diarrhoea, saepe mali comes, adeo importuna est, ut aegrum ad remedia astringentia saepe

pius adigat : haec vero, quippe que suppurationi haud leviter faveant, pessimos semper edunt effectus ; et nisi alvi proluvies tanta cum immanitate saeviat, ut vitae periculum ingruat, cane pejus et angue vitanda sunt. Hydrargyro abdomini affricato, lanulaeque postea indutae terga plerumque dat signum ingratum. Aegroto in equo aut curru exercitatio lenis pro viribus utenda, interimque a coeli intemperie caute cavendum.

Suppuratione exorta, tonica validiora et stimulantia, qualia sunt corticis Peruviani pulvis, vinum rubrum vel Madeirense utenda sunt. Abscessus extrorsum tumens quam primum scalpello incidendus est : si autem viam sibi in intestina edax patefaciat, laxantibus mitioribus, ne partis erosae hiatus justo citius agglutinetur, neve ductus communis choledochus, si hac forte pus ruat, oppiletur, leniter stimulanda sunt.